

Z6
7486

F. K. 58. (14)

RECTOR UNIVERSITATIS LIPSIENSIS

Ad Exequias

DN. JOHANNIS HOMMELII, JURIS APUD NOS PRACTICI,

Finitis sacris hodie XI. Nov. cl. 1881.

Cives suos invitat.





Nter notas verae Religionis, ordine

quidem, non dignitate postrema a Theologis potiuntur, efficacia in *avaritia* procuranda. Eam autem Evangelica Religioni, quam B. Lutherum a Pontificiorum corruptelis depurasse, atque strenue asseruisse, nuper anniversaria recordatione, DEO pro isto summo beneficio debitas gratias agens Ecclesia recoluit competere, non alii, manifestum est.

Etiamen, quemadmodum homines peccatores quosvis Religionis nostra ad poenitentiam ducit, non obnientes in gratiam DEI omnibus patientem reponit, credentes in fide in Christum, ac vita sanctimonia, per verbi DEI diligentem prædicationem, & Sacramentorum dispensationem conservat: Ita maxime cum moriendum est, hominem instruit ad beatum ex hac vita discensus. Duo tunc ei officia præscribit, observata etiam celeberrimo Medico, Danielli Semmerto, in *Meditationibus de bene vivendi*, beateque moriendi ratione: unum est, ut homo erga seipsum, alterum ut erga proximum se gerat. Prior quod attinet docet agrotum, DEUM, quem peccatis offendit, sibi reconciliare, siuque animum adversus omnes, quæ morituris accidere solent, tentationes præmuovere. Juxta quod ille totam vitam suam examinat, omnia peccata sua DEO confitetur, precibusque & suspiriis ardenterissimis ad veniam peccatorum, reconciliationemque cum DEO in CHRISTO Salvatore unico, non in Beatæ Mariæ, & Sanctorum defunctorum meritis & intercessionibus simul obtainendam fundit. Insuper adhortationem Apostoli Jacobi Cap. V, 16, secutus, etiam fratibus & Verbi DEI & Ecclesiæ ministris, quibus Christus claves ligandi & absolvendi commisit, delicta confitetur, eaque in primis, ob quæ turbatur, vel a Satana exagitatur, in eorum sinum deponit, qui ipsi solita idonea suppeditant. Quodsi alicujus animo obversantur bona quæ fecit opera, & pura a vitiis, quibus alii contaminati sunt, vita, non sibi in iis placet, aut fiduciam aliquam ponit, sed ex gratia DEI sentalem esse agnoscit, 1. Cor. XV, 10. & iis omnibus factis servum debitorem, Luc. XVII, 10: inventis contra in se transgressiones alias, quibus DEUM offendit, ideoque cum Davide orat Ps. CXLIII, 2. Ne intres in judicium cum servo tuo, Domine. Jam agroto in gratia DEI constituta occurrant peccata totius vitae, exaggeret Diabolus extremi judicii rigorem & Judicis severitatem; omni huic terrori opponit ille DEI Patris misericordiam, meritum filii DEI JESU Christi, ac certissimas de remissione peccatorum promissiones. Nulla hunc dubitatio subiicit Papistica an sit in gratia DEI, an ingressurus purgatorium aut infernum? sed scit se beatum mox futurum. Non cruciat exceptio Reformatorum; DEUM nolle omnes homines fieri salvos: Sed fidem suam confirmat Sacramento Corporis ac Sangvinis JESU Christi. Ex quo cibo potuque sanctissimo certus est, se fieri partipem omnium, quæ CHRISTUS in cruce, traditione sui corporis & effusione sui sanguinis promeruit, & se jam revera ob meritum Christi esse in gratia DEI, & habere remissionem peccatorum, vitam & salutem aeternam. Quodsi Diabolus, vbi fru-

frustra aliis tentationibus omnibus hominem aggressus est, dubitationem de veritate Religionis Christianæ iniciat, & hoc uno fundamento subruto totam fidei structuram everttere conetur, æger cum Diabolo in arenam disputationis non descendit, sed responderet, scio cui credidi, DEO in Scripturis Sacris loquenti, hicque depositum meum custodierit. Porro moriturus non ad mortem ipsam, sed ad felicissimum vitæ beatæ statum, in quem post mortem ex hac arumnoſa vita transferimur, cogitationes dirigit. Ex qua causa etiam morbi molestias patienter perferrit. Nescit, ne agone mortis obsurdescentibus auribus destituatur necessariis consolatiōnibus, quandoquidem novit Spiritum S. testimonium reddere Spiritui nostro, nos esse Filios DEI, eundemque paraclerum auxiliari infirmitatibus nostris, tuncque intercedere pro nobis gemitibus inenarrabilibus Rom. VIII, 16-26. Non timet per umbram mortis ire, quoniam Dominum habet secum Ps. LXIII, 4. Hæc sunt officia, quæ erga se observat æger: proximis praestanda duo commendat rectissime laudatus Sennerius; juxta que initio morbi omnibus tam iis, a quibus Iesus est, tam illis, quos ipse offendit, reconciliatur. Deinde munera si quæ gesit, res ita disponit, ut expeditæ post mortem inveniantur; res domesticas etiam suas ordinat, testamento rite condito materiam litis præscindit, Conjugem, liberos, cognatos, amicos mōrēntes erigit DEOque commendat; bona quædam male parta si habet, domino suo restituit, aut quando is notus non est, cui ea ablata sunt, vel jam mortuus, piis usib⁹ destinat. Qui divitiis bene partis abundant, partem aliquam pauperibus attribuunt, & Christum ipsum ita reliquis hæredibus in testamento adscribunt. Ubi jam discessum ex hoc mundo appropinquare sentit homo, & jam cum morte luctandum est, omnibus de rebus hujus seculi curis abjectis, divina voluntati se profus submittit, datque operam, ut in fide in Christum & in Domino moriatur, id est, se totum DEI gratia ac misericordia, merito Christi ac consolationi Spiritus S. tradit; omnes temptationes spernens in oratione pia & ardente perseverat; idem adstantes faciunt, præsertim cum jam moribundo sensus deficere incipiunt. Inter quæ tandem animam suam in manus Domini & Servatoris sui tradit. Atque hæc est efficacia Religionis Evangelicæ in iudeoacia procuranda & obtinenda. Ejus cum quotidiana conspiciamus exempla, etiam eandem clausula vitæ comprobat, quam beatam habuit DN. JOHANNES HOMMELIUS, Juris Prædictus apud nos eximius, in cuius memoriam & laudem ista scribimus. Natus est Ann. clo. Ioc. XLVIII. d. 20. April. Greslitzii in finibus Bohemia civitate montana ex familia Viris claris insigni Patrem enim habuit: JOH. HÖMMELIUM Institutorem Aeriae, Matrem Barbaram Leutneriam, Avum paternum Andream Hommeliūm, J. II. Doctorem, Universitatis hujus Syndicum, Collegii Majoris Principum Collegiatum, Dicasterii provincialis Supremi Advocatum Ordinariū, Aviam paternam Annam, Caspari Jungermanni Med. Doctoris filiam, Avum maternum, Adamum Leutnerum, Consulem Greslitzensem, Aviam Mariam Thorerinam. Etsi vero Parentes persecutio Papistica cum novem liberis, inter quos noster puer quatuor annorum, solum vertere compulit, nihilominus cum Curiam Baruthensem se receperint An. clo. Ioc. LII. de educatione eorum magnopere fuere solliciti: atque nostrum quidem octo annis natum Gymnasio in ea civitate tradiderunt: cuius Rector L. Waltherus, reliquie Praeceptores, in Religionis Christianæ capitibus, ac lingua tam Latina quam Græca discipulum bene informarunt. Nam an clo. Ioc. LXVIII. aptus ad sublimiora studia in Academiam nostram adveniens, in numerum Studiosorum a Rectori D. Friderico Rappolto cooptatus est. Hic prius operam dedit Philosophiæ, audiens Professores Publicos, Jacobum Thomasium, D. Valent. Alberti, D. Adam.

Re-

Rechenbergium. Post Juris studium tractavit, docentibus D. Amadeo Eckolto,
 D. Paulo Francisco Romano, D. Barthol. Leonhardo Schvendendorffero,
 D. Friderico Geislero, ac peculiari opera D. Joh. Heinr. Mehlchio, Diligen-
 tiam ejus sustentabant frater natu major Joh. Andreas, & post hujus fatu frater al-
 ter adhuc vivens David, mercatores nominatissimi Hommelii, victimum amictum
 que præbentes: quorum beneficiorum gratam recordationem semper servavit.
 Cum jam ipse Juris scientiam, quam sibi acquisiverat, in aliorum usum verte-
 ret, atque exinde se Familiamque aere posset, matrimonio sibi associavit an-
 clo Icc LXXXII. d. 22. Octobr. Mariam Reginam Wachiam, Christiani Seyf-
 ferti J. U. Candidati & Practici viduam: ex qua nonnisi filiam unicam Ann.
 c15 Icc LXXXIII. d. 30. Augusti suscepit Reginam Mariam, quam
 anno c15 Icc V. d. 28. Julii Joh. Hieronymo Goldschmidio, Acad. nostræ
 Actuario conjugem dedit. Quod magnum gaudium mox d. XVII, Augusti inors
 conjugis, cum qua XXV annos vixerat, valde turbavit. Non parum quidem
 ipsum erexit neptis Regina Maria, nata anno c15 Icc VI d. 5. Novem-
 bre sed & rursum eadem, præmatura morte nupero d. 12. Sept. discedens, hanc exi-
 guum maceroreni ipsi reliquit. Magno interim solatio erat, videre & liberorum
 conjugum concordiam, & erga se Patrem amorem, & de se maximam curam;
 nec non spem in amissa teneræ neptis locum sobolem ex filia recipiendi: ob
 quam causam imprias secundas aversabatur, quippe non sperans ex iis commo-
 da, quanta a liberis percipiebat. In vita sua Christianum, verbum DEI aman-
 rem, conciones sacras frequentante, Sacra Cœna usu se refocillantem, pa-
 cificum, humilem, officiosum; Advocatum sollicitum, justum, æquum se ex-
 hibuit. Dum Corporis eius spectaretur habitu, ex quo ad atatem grandiorē perve-
 nire posse putabatur. 28. Octobr. vesperi symptomatibus aliquibus catarrhalibus
 corruptus est, maxime pectoris angustia, cum frigore & calore; qua cum difficultate
 respirandi sequentibus diebus non solum permanserant, sed & per crebras
 vomitiones & tussim aucta sunt. Apparebat quidem fore, ut infactus pulmonum
 per excretiones ressolveretur: attamen iis cessantibus materia ad suffocationem
 usque accumulata est. In quo periculo statu agrotus ad se venire rogavit Confessionarium
 suum D. Thomam Itigium Superintendantem: ex cuius ore peccatorum
 suorum, qua confessus erat, remissionem audivit, ex manu sacrissimum
 Corpus & Sanginem Salvatoris sui accepit, atque robustus fide in Christum
 beatam analysin expectavit, suis, postquam rursum pro amore ac cura sui
 diligentissima, debili voce gratias egisset, valedixit, in precibus perstet, ad
 quas viribus deficienti, qui accesserat, D. Joh. Dornfeldius subveniebat. Inter
 eas die IV. Novembris hora IX. vespertina placide beareque finit. Vixit ann. 60.
 m. 6. d. 3. Exequiæ hodie finitis sacris pomeridianis sient: ad quas, Cives Aca-
 demici, tam ad officium humanitatis defuncto praftandum, quam ad familiam
 in hac urbe florentem honorandam, promte nobiscum itore. P. P. Dom.

XXX. Trinitat. die XI. Nov. Ann. Chr.


clo c VIII.

LITERIS CHRISTIANI SCHOLVINI.

in Religionem Christianam eumque secundum suum genitum dicitur
 Literis Christiani Scholvini. Namque de corpore eius
 in Accademia Lipsiensi doctorem denuo habilitatus est. D. Albertus Alpinius, D. Ambrosius
 Röbelius Lipsiensis, et alii. Huius enim doctorem denuo habilitatus est. D. Albertus Alpinius, D. Ambrosius
 Röbelius Lipsiensis, et alii.

Z6
7486

F. K. 58. (19)



CTOR TATIS LIPSIENSIS

Ad Exequias

JOHANNIS MAMELLI,

UD NOS PRACTICI,

bodie XI. Nov. c. 11 ecc. VIII.

es suos invitat.

